EPISTOLA
PASTORALIS
AD
CLERUM, ET POPULUM
UNIVERSAE DIOECESIS
ASTENSIS





ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VEN. HOSP. APOST.

APUD PETRUM AURELIUM

MDCCCXL.

PHILIPPUS ARTICO

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS ASTENSIS ET PRINCEPS

SS. DOMINI NOSTRI

GREGORII PAPAE XVI

PRAELATUS DOMESTICUS ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

Eques Sacri et Militaris Ordinis

SS. MAURITII ET LAZARI

Venerabilibus Fratribus et Dilectissimis in Christo Filiis Dignitatibus, Ordini Canonicorum, Animarum Curatoribus, Utrique Clero, Optimatibus, Populoque Universo Dioecesis suae Pacem et Salutem a Domino sempiternam.

Si jucundissima pacis et salutis vox electae isti Dominici gregis parti vel ab ipsis Christi Ecclesiae surgentis primordiis insonuit, eàdem profecto pacis et salutis voce, *Venerabiles Fratres, et Dilectissimi in Christo Filii,* vos alloquor vix dum sacra chrismatis unctione perfusus ad Principis Apostolorum Cathedram, super cujus fidei firmitate extructa totius sacri aedificii coelo inserenda consurgit sublimitas, (1) vester sum inauguratus Episcopus. Neque aliis quidem verbis pastoralem hanc, quam dandam nunc vobis arbitror epistolam, licet exordiri, ut quisque vestrum clare aperteque statim intelligat, quo studio vos prosequar, qua benevolentia complectar, *nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum* (2). Quì enim aliter possem, cum inclytae Astensi Ecclesiae tot sane nominibus clarae nullo sane meo merito regendae, sed eximia pientissimi Regis Caroli Alberti beneficentia, ac singulari GREGORII XVI. Pont. Max. voluntate nuper fuerim praepositus? Atque hic, ut loquar D. Basilii verbis, mentis nostrae

partus non audemus tradere ne verba pietatis censeantur humana, sed quae a Patribus edocti sumus ea vobis annuntiamus (3).

Scriptum est: *Cor Regis in manu Domini*, *quocumque voluerit inclinabit illud* (4). Coelesti igitur rerum dispensatione contigisse existimo, ut qui plures jam per annos Cathedralis templi Cenetensis Canonicus Theologus, ac divini verbi praeconio continenter intentus varias regiones sacris concionibus peragrare laetabar, ut quos possem Christo lucrifacerem, nunc praeter omnem opinionem cogitationemque ad vineam istam potissimum excolendam vocarer, ut re ostenderem quae verbis docueram; quasi mihi Dominus diceret, vide quanta sunt quae praedicasti, adimple ea quae ministerio verbi docuisti; atque ita clementissimus Deus rebus ipsis ostendere voluit meipsum mihi (5).

Equidem expavi atque contremui mecum ipse reputans immensum peno virtutum agmen, quibus Episcopus instructus esse debet; ac multiplex curarum pondus meis humeris sustinendum; et districtam animarum vestrarum rationem supremo Christo Judici aliquando reddendam. Jam porro oculos in me convertens, atque ad muneris magnitudinem pro dignitate tuendam tam multa mihi deesse perspiciens, ut facilius possim enumerare quae habeam quam quae habere desidero (6) haud potui quin exclamarem, *Domine audivi auditionem tuam et timui* ! (7) Quid enim tam insolitum, tam pavendum quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti? (8) Neque ignoro quod incidunt in ruinam qui in puncto honoris nedum discipuli magistri fiunt (9) et quod monstrosa res foret gradus summus et animus infimus, sedes prima et vita ima, lingua magniloqua et manus otiosa, sermo multus et fructus nullus, ingens auctoritas et nutans stabilitas (10). Quae quidem omnia penitus considerans, et infirmitatis meae mihi conscius cum viderem locum gubernaculorum mihi tradi qui remum tenere non noveram, summa animi perturbatione districtus ac vehementissimo timore perculsus effudi in conspectu Domini animam meam, accessi ad thronum gratiae et misericordiae votis omnibus et precibus Deum enixe orans et obsecrans, ut cor mundum crearet in me, et spiritum rectum innovaret in visceribus meis, ac mitteret mihi pauperrimo sapientiam de coelis quae mecum sit et mecum laboret, ut

sciam quid acceptum sit apud Deum (11). Et cum nullus speraverit in Domino et confusus fuerit, quia *omnes qui sperant in eum non infirmantur* (12) in eam profecto spem adducor fore, ut qui mihi honoris est auctor ipse mihi fiat administrationis adjutor, et det mihi virtutem qui contulit dignitatem (13); potest enim facere Deus ut quae praeire debuerant saltem subsequantur (14). Hac igitur mente et spe, quod *omnia possum in eo qui me confortat* (15) ad difficilia quae mihi subeunda sunt paratum me exhibui, sicut Moyses qui praeesse multitudini et noluit et obedivit; et memoria repetens illud Evangelistae: *Unctionem habetis a Sancto .... unctio ejus docet vos de omnibus* (16) incredibili sane laetitia me affectum sensi, cum hujusmodi sacra unctione in Sacrosancta Vaticana Basilica perfusus fuerim quae Principis Apostolorum sepulcrum nunquam desiturum (17) custodit, unde per universum mundum missio traditur Episcopis; amplissimo illo Canonicorum adstante Collegio a quibus tot amoris et benevolentiae significationes mihi perhumaniter tributae, atque etiam singularis honor datus conciones habendi superiori anno in augustissimo illo templo quadragesimae tempore: quod honorificentissimum munus proximo quoque anno, ob egregiam eorum in me voluntatem, mihi erat obeundum; quae omnia memorià colam sempiternà.

Itaque ea profecto spe fretus, ut Deus substentator imbecillitatis humanae me coelestis unguenti rore sanctificatum sui spiritus virtute interiora mea repleverit et exteriora circumtexerit, ac spiritualis benedictionis ubertate foecundaverit, oculos ad istam Dioecesim, quae mihi regenda, convertens jure laetandum mihi esse cognovi. Astenses enim Annales, quos probe vos noscitis, mihi raptim pervolventi jucundissima undique obversantur monumenta, quae egregiam vestrum omnium laudem, ac singulare erga Romanam Sedem obsequium summopere praedicant. Neque hic vos pigeat, Astenses filii dilectissimi, si quae potiora mihi et illustriora visa fuere, honoris vestri et consolationis meae causa, in hac etiam amplissima totius catholici Orbis principe Urbe strictim commemoro. Siquidem mihi contigit Episcopali Sedi praeesse, quae plures habuit Antistites doctrina, ingenio, consilio, sanctitate claros, et coelitum ordini adscriptos; in ea autem Civitate

morari, quae non solum permultos cives litteris, disciplinis, reique civilis ac militaris gloria illustres edidit, verum etiam sexdecim sacrorum Antistites Astensi Ecclesiae praepositos, plures aliis Civitatibus dedit, quorum nonnulli sanctorum cultu digni habiti. Accedit etiam, ut corona mea illud sit Cathedralis templi Canonicorum Collegium, e cujus sinu duodeviginti prodiere viri Episcopali infula ornati. Praeterea, quemadmodum eruditissimus Malabaila scribit, Astensis Civitas fuit *Catholicae communionis semper tenacissima, fidei zelo et obedientiae visibili militantis Ecclesiae Capiti debitae* praeclara (18). Et requidemvera Romani Pontifices Liberius, deinde vero Urbanus, Gelasius, Innocentius eo nomine secundi, ac nuperrimis temporibus Pius VII., qui omnes istam Civitatem eorum praesentia condecorarunt, quae quantaque obsequii, et venerationis testimonia ab Astensibus non retulerunt? Quis autem ignorat septingentos Astenses heroes Martini IV. Pont. Max. nutu et arbitrio, duce vero Marco Solaro, Hierosolymam petiisse, ut illi urbi opem ferrent eamque ab hoste vindicarent? Cardinalem Bertrandum Joannis XXII. P. M. Legatum ab Astensibus honorificentissime exceptum? Episcopum Malabaila biennii captivitatem invicto animo pertulisse, ut summo Pontifici Innocentio VI. firmiter adhaereret? Albertum Guttuarium Astensem Antistitem et Beatum Henricum Scarampi a Constantiensi Concilio adlectos ut haeresiarcam Joannem Hus deponerent, depellerent? Quid plura? Henrico IV. imperante, ac S. Landulpho Episcopo, Astenses legitimo Pontifici Gelasio II. omnino devoti nonne Imperatoris minas contempserunt, ac profugo Pontifici omnem opem et operam splendide praebentes gravissima quaeque pericula, damna, et exilium biscentum nobilium civium libentissime passi sunt? Ut autem Innocentio II. Pont. Max. adversus schismaticos Anacleti asseclas eorum fidem integram inviolatamque servarent, annon bello etiam lacessiti strenue dimicarunt? Qua de re ipse Pontifex ab ipsis defensus Astensibus e Gallia redux Sanctis Landulpho et Bernardo comitantibus inter ovantium Astensium gratulationes isto in Cathedrali Templo paschale gaudium celebravit. Si igitur Astenses pro constanti eorum in Romanam Cathedram ejusque Pontifices fide aerumnas, bella, exilium, vincula, carceres invicto atque excelso animo pertulerunt, quanto amore

suavem clavium et pontificiae auctoritatis potestatem ipsi non diligant, qui memores praepositorum suorum dum intuentur exitum conversationis proculdubio imitari gestiunt et fidem? Hinc porro evenit, ut dissitae quoque provinciae cives suos istius Ecclesiae Episcopos renunciatos laetis faustisque ominibus prosequutae fuerint; ac Beneventum, Placentia, Florentia, Nicaea, et praesertim Mediolanum, quae Civitates Astensi Cathedrae plures dederunt Episcopos. Cum vero duae Venetae Provinciae binis Astensibus Episcopis glorientur, scilicet Tarvisina et Feltrensis (19); tum Deus faxit, ut Cenetensis Urbs aliquid in hac mea civis sui tenuitate vobis rependere possit, qui vester renunciatus Episcopus omnia mihi laeta et fausta auguror et spondeo.

Neque vero parum me recreat ac reficit explorata satis mihique perspecta eximia morum suavitas ac praeclara ingenii et virtutis indoles, qua vos omnibus estis magnopere probati, nulla ut ratione dubitare liceat, quin in audiendis Pastoris vestri, immo amantissimi Patris monitis faciles, ad documenta vero perficienda alacres semper atque expediti inveniamini. Ita cum vobiscum gaudeam in Domino, qui me sane immeritum posuit custodem in vinea ista electa, quae cultoris votis abunde respondens laetissimos justitiae fructus semper erit allatura, quod mihi gravissimum sane officii munus incumbit quanta maxima possim vigilantia et cura pro viribus perficiam. Equidem ero in medio vestrum, sicut Apostolorum Princeps nos jubet, providens non coacte sed spontanee secuudum Deum, neque ut dominans in cleris sed forma factus gregis ex animo, cui nihil potius quam ut requirat oves suas, et visitet eas, ac pascat in montibus Israel, in rivis et pascuis uberrimis, ut ibi requiescant in herbis virentibus. Si quid vero infirmum forte reperiam omnem dabo operam ut consolidem, si quid aegrotum ut sanem, si quid confractum ut alligem, si quid abjectum ut reducam, et si quid periit ut quaeram; semper tamen, quantum officii ratio sinet, in patientia, in mansuetudine, in lenitate. Neque certe aliter possem in Christum Jesum Pastorum Principem, ut par est, semper intuens, qui se humilem et mitem corde professus tradidit animam suam pro ovibus suis, nobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia ejus. Quid igitur mihi vel tam molestum, vel tam impeditum, vel tam arduum

accidere posse unquam putem, quod tanto objecto exemplo ferendum, expediendum, providendum pro credito mihi grege omni ratione non curem? Ita quidem mente agito, ita animo fixum teneo mihi, ut neque laboribus, neque curis, neque vigiliis parcam, quo animarum vestrarum bono consulam, paratus etiam dare animam meam pro animabus vestris.

Atque hic fortasse calamum ponerem, sineret modo meus in vos amor, qui quidem tantus est, ut nulla ratione mihi temperare valeam, quin singulos quosque civium ordines alloquar, ut singulis aliquam paterni animi significationem exhibeam.

Primum igitur omnium ad Vos sermonem meum converto Venerabiles Fratres istius Cathedralis Templi Dignitates, et Canonici. Vobis quidem gratulor, mihi autem gaudeo, pro certo habens vos Viros esse, qui probe norunt, ut monet ultima Astensis Dioecesana Synodus, se morum gravitate, integritate, scientia, sanctimonia ita caeteris e clero praestare debere quemadmodum dignitate antecellunt (20). Vestrum certe utar ope et consilio, qui in Ecclesiae Nostrae Senatum cooptati estis. Et certe si Moyses, quocum Deus ipse loquebatur, populi regendi et administrandi caussa, consilium ultro libenterque a socero suo accipiebat, quanto magis ego, qui omnigeno indigens auxilio, haud ignoro illud effatum: ut secure praesis subesse non dedigneris. Praeterea quam dulce est habere viros, quibus arcana conferas, et secreta cordis committas, qui in tristibus solamen, in adversis animum praebeant, in prosperis gratulentur? Viros, quorum consilium utile, vita honesta, sententia decora; qui nihil nebulosum habeant, nihil fallax, nihil simulatum; qui discretione sint providi, experientia probati, gravitate maturi, austeri in se, proximo compatientes, orationi assidui, corde mites, eloquio veraces, in omni denique spirituali disciplina provecti? Quid gratius, quid jucundius, quid optabilius, quam hujusmodi consuetudine perfrui? Felix tum servitus, immo gloriosa libertas! Qui hujusmodi sint ipsi me utantur ut libet. (21) Erunt mihi et pater, et mater, et fratres, et liberi. (22) Vestram nunc expressi imaginem Cathedralis Templi Dignitates, Canonici, ac propterea vestris quasi manibus sublatus et quodammodo natans magnum hoc mare trajiciam. *Desidero igitur vide-*

re vos . . . et simul consolari in vobis per eam quae invicem est fidem vestram atque meam . . . (23) *certus sum enim fratres mei et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia ita ut possitis alterutrum monere* (24).

Haud dissimiles vos esse nosco Insignis Collegialis Ecclesiae S. Secundi Canonici, qui inclyti illius Martyris, ac Civitatis et totius Dioecesis Patroni principis mortales exuvias tam pie et religiose asservatis et colitis. Incredibili sane religionis sensu afficior memoria repetens mirum illud portentum quod vestro in templo evenit, cum ex divina hostia sanguis mirifice fluere visus est; (25) quo prodigio Carolus V. Imperator vehementer permotus, cum posteriori anno vestra hac in Urbe moraretur, in Solemni Corporis Christi pompa tentorii hastam gestare gloriatus est (26). Vestrum et ego in templum venerabundus veniam, atque ad sacros tanti Martyris cineres humillime provolutus illum orare non desinam, ut divina mihi meoque gregi impetret auxilia. Interim vos, aliosque omnes choro addictos oro et obsecro: *psallite Domino sapienter . . . bene psallite ei in vociferatione,* (27) ut impleamini Spiritu Sancto *loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus psallentes et canentes in cordibus vestris Domino* (28).

Vos jam alloquor probatissimi mihique carissimi animarum Curatores, Confessarii, Sacerdotes, Levitae, et quotquot ecclesiasticae militiae adscripti militatis in castris Domini. Videte, quaeso, ministerium quod accepistis: elegit enim vos Christus ut quasi luminaria luceretis in caliginoso loco, atque ut fermentum evaderetis, quod omnium fidelium massam faciat fermentare. Pascite, sicut jam facitis, gregem Dominicum verbo praedicationis, fructu orationis, exemplo conversationis. Scitis enim quod validior est operis quam oris vox, et literas mortis suae portant qui sciunt, et docent, et non faciunt. Sit vobis sermo silens, et silentium loquens. Siquidem in vos omnium oculi diriguntur, domus vestra et conversatio quasi in specula constituta magistra est pubblicae disciplinae (29). Videat igitur et sollicite curet unusquisque vestrum se *ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem* (30). Ast ego minime inficior quod cum venero pastorales vestros labores suspiciam, atque uberrimos

fructus colligam in vineis vestrae curae commissis. Interim confortamini invicem in Domino, o Socii sollicitudinis nostrae in animarum cura; et quae vobis nunc dico, mihi primum dicta credatis velim. Nihil profecto difficilius, laboriosius, periculosius officio nostro; sed et apud Deum nihil beatius, quam si eo modo militetur quo noster Imperator jubet. (31) Militemus ergo simul militiam bonam. In praedicationis munere accommodemus nos auditorum captui: melius enim est ut nos reprehendant grammatici, quam non intelligant populi (32). In Sacramentorum administratione attendamus ad Deum ut glorificetur, ad Sacramentum ut rite perficiatur, ad subjectum ut sanctificetur, ad astantes ut pie moveantur, ad nosmetipsos ut Dei gratia in nobis augeatur. Attendamus simul, obsecro vos, pretioso deposito quod nobis est creditum. Ecclesia Catholica civitas est, vigilemus ad custodiam; ovile est, intendamus pastui ovium; ager est, colamus eam; vinea est, ordinemus, incidamus, palemus eam; sponsa est, studeamus ornatui: fidelis paranymphus (33) discurrit medius inter dilectum et dilectam vota offerens, referens dona; excitat istam, placat illum. Agamus ergo causas matris nostrae, neque patiamur pessimorum injuriis lacerari; immo, si res exegerit, pro justitia et libertate Ecclesiae non dubitemus facultates nostras raptoribus, famam ludibrio, fortunam periculis, caput ipsum hostilibus insidiis objectare, quemadmodum majores vestri, ut jam superius commemoravi, luculentissimum exemplum nobis reliquerunt; siquidem Magister ac Redemptor noster *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea* (34). Ipse Deus pater ait: *Zelatus sum Hierusalem zelo magno*. Absit vero, ut nunquam dicatur de nobis, *zelum amarum habetis* (35). Matres fovendo, patres nos corripiendo exibere oportet, D. Francisci Salesii vestigiis inhaerentes, quem Deus *in fide et lenitate sanctum fecit* (36); plus enim agit benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas. (37) Audiant homines nos parva mandantes, magna videant facientes; *melius namque est Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate* (38). Tales ergo simus, ut aliquando coram Pastore et Episcopo animarum nostrarum

cum fiducia possimus apparere, scientes quod clausas fores vocatus inveniet animarum pastor si vocanti vacuus appropinquabit.

Num tacitus vos praeteream *Adolescentes Clerici*, qui in Seminario pietati et doctrinae navatis operam? immo potissimo cordis affectu vobiscum loquor, qui tota spes estis gregis. Sapienter quidem monet ultima nostra Dioecesana Synodus, Clericos laicorum constitutos esse magistros et doctores, ac propterea ea morum vitaeque integritate eos vivere oportet, ut eorum vita eruditio sit aliorum et assidua salutis praedicatio (39). Omni igitur cura, studio, contentione in vitae innocentiam diligenter tuendam, atque in litteras severioresque disciplinas praesertim sacras addiscendas incumbite, ut virtute et doctrina fulgentes, sitis in tempore idonei Christi ministri, et valeatis aedificare Domino domum fidelem, ejusque excolere vineam. Et quoniam satius est paucos bonos, quam multos habere ministros (40); et minus dignis manus imponere non esset consulere populis sed nocere, non praestare regimen sed augere discrimen (41); neque digni sunt quorum probata vita senectus non sit (42); nihil inausum nihilque intentatum relinquite, ut vel a teneris annis virtutum omnium ornatu coruscare conemini, cum grandis adhuc vobis restet via, atque ambulandum sit usque ad montem Dei. Pergite alacriter, nam qui non proficit deficit, qui non progreditur regreditur; (43) et studio quam licet maximo *bonitatem, et disciplinam, et scientiam* (44) pro viribus assequi curate, diligentes praesertim Seminarii recessum, propterea quod Clericum solitudo facit non publicum (45); et memoria retinentes quod cum sit *initium sapientiae timor Domini* (46) plus Christus vos docebit quam omnes libri (47). Ita porro vos gaudium et deliciae meae eritis, quos tanquam filiolos meos carissimos in oculis semper geram, et complexu fovebo, nihilque mihi dulcius et gratius quam inter vos versari, vestrosque in pietate, et scientiis progressus mirari; cum praesertim omne pene vitae meae tempus in patrio Cenetensi Seminario, quod honoris causa ego nomino, vel discipulus vel praeceptor jucundissime consumpserim.

Venerabiles Religiosarum Familiarum alumni in claustris vestris consulite Dominum, et sine intermissione orate, ac nunquam desinite dies noctesque laudare nomen Domini. Vox Dei quae non sonat in foro sonabit vobis dulcior super mel et favum. Diabolus

qui vicerat in paradiso victus est in deserto: dat ibi gratiam et benedictionem Dominus. Illustria Patrum vestrorum exempla aemulamini, eorumque sanctissimas leges diligentissime ut custodiatis, curate; qui enim regulae vivit, vivit Deo (48). Animadvertite, quaeso, omnes in vos praecipue, qui Deo peculiaribus votis mancipati estis, tamquam in exemplar excellens oculos conjicere. Prospicite igitur ut quisquis vos videns stupeat, et dicat: hi homines sunt Dei, quorum talis conversatio est. Vobis omnibus carissima sit obedientia, quae tamquam via regia hominem inoffenso pede ducit ad summitatem, memores semper, quod *qui se subtrahere nititur ab obedientia ipse se subtrahit a gratia* (49). Nunquam vero egregia pietatis et religionis opera intermittere velitis, ut christianae ac civili Reipublicae magis magisque ornamento et praesidio esse valeatis; non enim locus homines, sed homines locum sanctificant (50).

Virgines Deo sacrae, et ornamentum gratiae spiritualis, quas hortus conclusus tenet, et fons signatus laetificat, tanto nomine dignae semper estote non corpore tantum sed etiam spiritu. Vos jure perbeatas appello: quibus datum est sequi agnum, qui pascitur inter lilia, quocumque ierit, et cantare canticum quod nemo dicere potest. Toto igitur cordis affectu, dum unaquaeque vestrum supplices et puras ad dilectum sponsum tendit manus, dicat cum S. Augustino: Deus cordis mei, et pars mea in aeternum, accipe me. Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis. Caritas Dei diffusa sit in cordibus vestris; humilitas luceat in vobis, et vigilantia ne unquam intretis in tentationem, ut cum S. Bernardo exclamare possitis: O jugum sancti amoris quam dulciter capis, gloriose laqueas, suaviter premis, delectanter oneras! In portu constitutae diurnis nocturnisque precibus Deum pro me continenter precamini, qui ob celsitudinem dignitatis, dum navis clavum et gubernacula suscipio, insperatis fluctibus quatior, et variis undique negotiis pene submergor.

Honoris causa vos appello, *Proceres, Optimates,* Vos omnes qui vel muneris dignitate, vel generis nobilitate, vel ingenii laude, vel opibus ceteris praestatis, atque aliorum animos, mentesque vel facile permovere potestis. Pergite, obsecro, ut adhuc

fecistis, honestatem, justitiam, virtutem, religionem tueri; cum praesertim Magnatum exempla tantam vim habeant, ut ipsi Deo servientes, alios quoque ad illius cultum adigant, atque compellant. Vos quidem habiti veluti plebis duces impiorum consilia nunquam excipere velitis; sed vestris cunctis actionibus pietatem in primis fovete, et ostendite non solum in abscondito, verum etiam coram omnibus catholicae Ecclesiae filios vos esse gloriari, ejusque Dei leges servare, *cui servire regnare est* (51). Ita porro Christiana plebs vestris excitata exemplis virtutis semitam percurret, et vobis Religiosissimi Nostri Regis gratiam et benevolentiam vel facile comparabitis, qui maximas inter, quibus splendet, virtutes, pietatem potissimum in deliciis habet.

Sed jam quid mihi restat aliud, nisi ut Vobis omnibus verba faciam, carissimi in Christo Filii cujusque ordinis, aetatis, sexus, conditionis? Vos primum hortor et obsecro, ut soliciti sitis integram inviolatamque servare Fidem, sine qua impossibile est placere Deo. Nullae sunt majores divitiae, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam Fides Catholica. Haec enim peccatores homines salvat, caecos illuminat, infirmos curat, cathecumenos baptizat, fideles justificat, poenitentes reparat, justos augmentat (52). Estote, quaeso, fundati et stabiles in fide, quam singulari Dei benefitio a primis usque nascentis Ecclesiae temporibus per discipulum Petri accepistis; sumentes in omnibus scutum fidei, in quo possitis ignea tela nequissimi hostis extinguere. Quod si certe alias, nunc certe majori cura et vigilantia vobis praestandum est, cum non pauci reperiantur, *qui per profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* (53) mellitis captiosisque sermonibus fel draconis in calice Babylonis improvidis atque imperitis propinant; et sedentes in insidiis clam e pharetra jacula educunt, quibus rectos corde sagittant; ac jura quaeque divina et humana permiscere, immo funditus evertere impie nefarieque commoliuntur, *Volentes esse legis doctores non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant* (54). Hos, precor, fugite tamquam a facie colubri: *ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate* (55). Nihil magis inimicum sapientiae quam scientia fallax, nihil magis

pietatem destruens quam fucata pietas. Fugiamus ergo noxiam sapientiam, sequamur laudabilem fatuitatem (56). Sponsa Christi Ecclesia Catholica pie nutrit filios quos Deo Patri dignos assignare contendit. Filii boni amate tantam matrem; filii boni nolite deserere quotidie vos requirentem, rependite vicem, amate amantem (57). Gaudeamus quod simus de hoc ovili; idcirco adhaereamus quamfirmissime et indivise Summo Pontifici tanquam visibili Capiti Ecclesiae super petram aedificatae: credamus, obtemperemus omnes; naufragium ratiocinatio gignit, Fides navis est tutissima, in qua solus securus navigat qui cum Petro navigat; ait enim Metropolitanae nostrae Taurinensis Ecclesiae Episcopus S. Maximus, *clavis coeli lingua est Petri* (58). Cum autem fides sine operibus nihil prosit singula Dei et Ecclesiae mandata perdiligenter perficite; et quae passim Apostolorum Princeps in sua prima Epistola nobis praecepit, atque hic vobis in unum colligo, memoria firmiter retinete.

Deum timete (59): *vigilate in orationibus* (60); *Regem honorificate* (61); *subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum* (62). *Omnes honorate, fraternitatem diligite* (63) *deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones* (64) *abstinentes vos a carnalibus desideriis quae militant adversus animam* (65) *a luxuriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus* (66). *Servi subditi estote in omni timore Dominis* (67): *adolescentes subditi estote senioribus* (68): *in fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles* (69) *conscientiam habentes bonam* (70) *hospitales invicem sine murmuratione* (71). *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem ut christianus non erubescat, glorificet autem Deum in nomine isto* (72).

Quae omnia ut assequi possimus, et facilius misericors Deus nostris annuat votis, deprecatricem apud ipsum adhibeamus Deiparam Virginem, cui in coelum evectae Cathedrale templum dicatum, et quae auxiliatrix et spes fidissima nostra maternum in nos gerens animum neminem ad se confugientem rejicit. Suffragia quoque petamus *S. Secundi Martyris*, cujus tu-

telâ ista Civitas atque universa Dioecesis tantopere gloriatur; et *S. Evasii* qui primus Episcopalem istam Sedem sanctitate et martyrio condecoravit; et aliorum coelitum omnium, eorum praesertim quorum mortales exuvias tanta religione et pietate colitis et asservatis.

Interea tamen dum vestrae orationes, postulationes, obsecrationes, gratiarum actiones innotescunt apud Deum, orate primum, quaeso pro GREGORIO XVI. Pont. Max., Magni Gregorii nominis, ordinis, auctoritatis, virtutum haerede dignissimo, cujus beneficia erga me singularissima nullis possem dignis aequare verbis; ut Deus non solum totius christianae Reipublicae bono quam diutissime servet incolumem, verum etiam foveat, tueatur, quo reducat facilius errantes in viam veritatis et justitiae, et quasi fluvius pacis quaque versus exundans revocet omnes in unitatem fidei, in vinculo pacis. Deinde vero pro religiosissimo CAROLO ALBERTO Rege Nostro de Catholica Ecclesia, deque civili societate tot egregiis factis vel maxime merito; ejusque Augusta Sponsa MARIA THERESIA pietate ac beneficentia clarissima, et Regia Sobole, ac domo; tum pro pientissima Vidua Regina MARIA CHRISTINA, ut Deus felicia et fausta omnia velit eis perpetuo concedere.

Post hos pro Emo Principe Jacobo Justiniani Sacrosanctae Vaticanae Basilicae Card. Archipresbytero praeclarissimo, qui tot aliis in me meritis illud in cumulum voluit accederet, ut me ad sacros Principis Apostolorum cineres Episcopum consecraret. Denique pro me rogate, ut honor omnium dignitatum Deus, qui me ad summi Sacerdotii ministerium elegit, sit etiam ipse mihi auctoritas, ipse potestas, ipse firmitas, ita ut sponsam suam Sanctam Astensem Ecclesiam illibate custodiam, et quod divino suo munere consecutus sum, atque humilitatis meae gerendum est ministerio suae omnipotentis virtutis impleatur effectu.

Confido autem in Domino quoniam et ipse veniam ad vos cito, ut gaudium meum sit plenum; desidero enim videre vos, et os ad os loqui ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis, ad confirmandos vos (73). Interim vos omnes salutans in osculo sancto, et singulis quibusque vestrum paternam ex animo be-

nedictionem impertiens, sicut *sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis* (74), ita rursus *obsecro vos* (75) *ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum . . . . ut veniens ad vos in abundantia benedictionis Evangelii veniam . . . . in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.*

Dabam Romae extra portam Flaminiam ipsa nostrae consecrationis die XXVII. Dicembris anno MDCCCXXXX.

ADNOTATIONES

(1) Ben. XIV.
(2) Ad Coloss. 2. 4.
(3) S. Basil.
(4) Prov. 21. 1.
(5) S. Aug.
(6) Id. Doct.
(7) Habac. 3. 1.
(8) S. Leo M.
(9) S. Hieron.
(10) S. Bern.
(11) Sap. 9. 10.
(12) Machab. 2. 61.
(13) S. Leo M.
(14) S. Bern.
(15) Ad Philipp. 4. 13.
(16) 1. Jo. 2. 20.
(17) S. Chrys.
(18) Ser. Cron. de' Vesc. del Boatteri, e Cron. del Malab.
(19) Id.
(20) Syn. Dioec. Caissotti c. 18. §. 1.
(21) S. Bern.
(22) S. Chrys.
(23) Ad Roman. 1. 11.
(24) Ibid. 15, 14.
(25) Anno 1535. die 25. Julii. Ser. Cron. de'Vesc. di Pietro Gio. Boatteri.
(26) Ibid. anno 1536.
(27) Ps. 32. v. 3.
(28) Ad Ephes. 5. 19.
(29) S. Hieron.
(30) Ad Timot. II. 2. 15.
(31) S. Aug.
(32) Id. Doct.

(33) S. Bern.
(34) Ad Ephes. 5. 25.
(35) Jacob. 3. 14.
(36) Eccl. 45. 4.
(37) Syn. Trid. Sess. XIII. de Ref. c. 1.
(38) S. Antonin.
(39) Syn. Dioec. Cais. c. 17. §. 1.
(40) Conc. Lat. IV.
(41) S. Leo M.
(42) Pont. Rom. de Ord Confer.
(43) S. Aug.
(44) Ps. 188. 56.
(45) S. Hier.
(46) Eccli. 1. 16.
(47) S. Bern.
(48) S. Greg. Nyss.
(49) Imit. Christi l. 3. c. 13.
(50) S. Bern.
(51) Pont. Rom.
(52) S. August.
(53) I. Tim. 6. 20.
(54) Ib. I. 7.
(55) II. Pet. 3. 17.
(56) S. Greg. M.
(57) S. August.
(58) S. Max. Ho. de Sanctis.
(59) I. Pet. 2. 17.
(60) Ib. 4. 7.
(61) 2. 17.
(62) Ib. 13. 14.
(63) Ib. 17.
(64) Ib. 1.
(65) Ib. 11.
(66) 4. 3.
(67) 2. 18.
(68) 5. 5.
(69) 3. 8.
(70) Ib. 16.
(71) 4. 9.
(72) Ib. 15.
(73) Ad Rom. 1. 11.
(74) Ib. 1. 9.
(75) Ib. 25. 30.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni, Ord. Praed., S. Pal. Ap. Magister.

IMPRIMATUR

A. Piatti Patr. Antioch. Vicesgerens.